

252

250

256

246

261

241

301

201

351

151

Ende

Anfang

241

Multiplici plaga est haec urbs in nihilum redacta per Sarracenos
in odium Templariorum, Johannitarum et Teutonicorum, per
terrae motus et per inundationem aquarum de monte a tergo ci-
vitatis descendenter; nam mons altus civitati imminet, in cuius
clivo optima crescunt vina, et dicunt, vites ita magnas ibi esse,
quod homo non potest ambobus brachiis circumplecti eas stipites.
Crescunt etiam ibi corrobi in magna multitudine.

Super Nimoniam est quidam locus nemorosus, adeo plenus
serpentibus et nocivis animalibus, quod nemo potest ibi manere,
hoc tamen non obstante in medio nemoris construxerunt antiqui
patres monasterium, ut circumdati serpentibus minus visitarentur
a saecularibus, quorum utique crebra visitatio devotis monachis
noscitur esse molesta. Sed ne serpentes ipsos in monasterio mo-
lestant, nutrunt multitudinem cattorum, qui serpentibus et muri-
bus, gliribus, soricibus naturaliter insidiantur, et eos non sinunt
prope muros morari, siveque quotidie pugnant catti isti cum ser-
pentibus a muris repellentes (¶), noctibus vero intersunt et offi-
cinas omnes lustrant, ne aliquod reptile ibi manere possit, diurnis
vero horis per nemus vagantur, et quando hora refectionis eorum
instat, tunc deputatus monachus quandam campanam pulsat, cujus
audientes sonum omnes accurrrunt ad locum suae comedionis;
habet enim murilegus bonum auditum, meliorem odoratum, sed
optimum visum, quo etiam noctis tenebras penetrat, propter quod
cattus dicitur: cattus enim idem est, quod ingeniosus, unde anti-
qui credebat, cattos esse socios geniorum sive larium, dicentes,
quod genii non possint se abscondere, quin a cattis videantur, qui
hominibus sunt invisibles. Brutum tamen dicunt nocte quadam,
dum in domo cum lumine quid ageret, vidiisse atram quandam
imaginem, et interrogata, quae esset? tuus, inquit, malus genius
sum, et sic sub oculis mirantis evanuit. Nam antiqui ponebant,
cuilibet homini semper adesse bonum genium sive larem, et ma-
lum, sicut christiana veritas dicit, cuilibet homini sociatos esse
duos angelos, unum bonum, alterum malum; lares autem dicebant
esse filios Mercurii et Laris Nymphae et inhibitare privatas domos
easque et homines custodire et in communi loco domus habi-
tationem habere juxta ignem, ibique veteres eos ritu venerabantur,
quod utique nondum plene abolitum est. Et quia catti scintillantem
habent visum et libenter morantur juxta ignem in cineribus,

16